Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 217

Quelle:
Copyright:

in VII. Pſalmos dictos *Poenitentiales*, quorum Praefatio incipit: *Ne inter occupationes multiplices et ſollicitudines vehementes* &c. Opus vero ipſum: *Cum omne tempus ſeptem dierum repetitione decurrat* &c. Finis: *utcunque deſcripſi ad laudem et gloriam nominis ihesu chriſti, qui cum patre* &c. Addit Librarius: *Explicit expoſicio VII. penitentialium pſalmorum edita per ſanctiſſimum patrem noſtrum ac dominum dominum Innocencium romane vrbis antiſtitem et III. huius nominis papam. Finitum et completum Sub anno domini M° CCCC°. VII°. in vigilia ſymonis et iude apoſtolorum.* Extant Commentarii hi ſeparatim impreſſi *Coloniae* 1551. et 1566. 8. et *ibid.* 1552. et 1575. f. inter *Opera Innocentii omnia*, quae, cum pietatem ſingularem et virtutem ſpirent, difficile plenam fidem accuſationibus adhibeas, quibus a quibusdam Scriptoribus impetitus eſt.

II. *fol.* 79. *Incipiunt teſtamenta XII. patriarcharum in quibus ſunt pulcherrime et aptiſſime prophecie de chriſto que tranſtulit magiſter robertus Dictus groſſum caput* (Groſthead, Groſſeteſt, Capito) *linconienſ. epiſcopus de greco in latinum.* Teſtamenta haec a Judaeo quodam in Sec. I. et II. confiniis excogitata ſed a Chriſtiano poſtmodum interpolata, ſi Codici *mſ. Bibl. Bodl.* 75. et *Norvicenſi Joh. Mori* 177. fides eſt, ex Hebraeo in Graecum tranſtulit *Johannes Chryſoſt.* Agit de iis fuſe doctiſſimus *J. Ern. Grabius* in *Spicil. SS. PP.* T. I. Oxon. 1714. p. 129. 8. ubi ea graece et lat. repraeſentat. Inde *Fabricius* in *Cod. Pſeudepigr. V. T.* ad p. 496. tranſtulit. Verſionis noſtrae editionem *Pariſ.* 1549. 12. primam habuit *Grabius*, atque ita vitioſam in *Orthodoxographa* et *Bibliothecas PP.* tranſiviſſe queritur. Sed adjacet mihi Editio multo antiquior *char. goth. ſ. l. et a. 24. foll.* 4. unde fortaſſe ceterae omnes dimanarunt, ut ſuadet inſtituta collatio. Ad hujus Editionis calcem habetur Notitia illa de Verſione *Teſtamentorum*, quam etiam *Grabius* ex *Cod. Coll. Trinit.* p. 252. repraeſentat, ſed omittit *Fabricius*, a quo p. 758. adlata *Teſtamentorum* Editio per *Menradum Molterum* 1483. ut verum fatear, mihi ſuſpecta eſt. Illa porro Notitia in Editione mihi adjacente amplior eſt *Grabiana*, adjutoremque illum *Roberti Lincolnienſis* in *Teſtamentis* vertendis *Nicolaum* Graecum *Rectorem Eccleſie de dachet* adpellat, quod a nemine praeter *Tannerum* in *Bibl. Brit. Hib.* commemorari video. Verum, ut jam ad *Codicem* redeam, hoc ejus eſt initium: *Ruben interpretatur viſionis filius. Prius quam moreretur in viceſimo ſeptimo* (omnes al. quinto) *et centeſimo anno vite ſue Poſt duos annos mortis Joſeph egrotans dixit filijs ſuis Ecce coram deo teſtificor vobis deum celi hodie* &c. Atqui haec ſatis ab Editis abeunt. In *Teſtamento Gad* deficit *Codex*